



Per.  
Lat  
020

LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.  
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.


Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy  
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

## Sanctus Emericus dux, patronus iuventutis.

Longa series<sup>1</sup> annorum nongentorum praeteribat, ex quo<sup>2</sup> Sanctus Emericus, spes et columen<sup>3</sup> quondam patris, Sancti Stephani regis et inclitae<sup>4</sup> gentis Hungarorum divino<sup>5</sup> fato<sup>5</sup> iuvenili aetate, quadragesimum annum agens anno MXXXI. a. d. IV. Nonas Septembres in caelum migraverat. At quamvis praematura<sup>6</sup> mors regni heredis maximo luctu ac dolore premeret parentes aequae<sup>7</sup> ac<sup>7</sup> primores civitatis populumque, tamen praeclara hereditas, quae nobis ab Illo tradita est, magnum solatium praebet, nam superavit fugam temporum fulgetque ob<sup>8</sup> oculos omnium imprimis autem in animo iuventutis Hungariae. Quae hereditas autem in virtutibus splendidissimis Sancti Emerici nostri posita est.<sup>9</sup> Ita enim a parentibus, deinde vero a Sancto Gerardo paedagogo et magistro suo institutus est, ut

amore Dei imbutus<sup>10</sup> obedientiam, temperantiam, misericordiam aliaque officia Christiana mirum in modum exercuerit. Denique, voce<sup>11</sup> divina in templo audita, quae ei haec verba nuncupaverat: «Praeclara res est virginitas!» vitae<sup>12</sup> quoque castitatem<sup>12</sup> devoverat<sup>12</sup> et usque ad mortem

<sup>1</sup> sor <sup>2</sup> amióta <sup>3</sup> támasz <sup>4</sup> dieső <sup>5</sup> isteni végzésből <sup>6</sup> korai <sup>7</sup> épügy, mint <sup>8</sup> előtt <sup>9</sup> alapul <sup>10</sup> eltelve <sup>11</sup> szózat <sup>12</sup> szüzi életet fogadott.



Gerhardus instruit Emericum.

servaverat. Hac ratione<sup>18</sup> vitae<sup>18</sup> non solum monumentum aere<sup>14</sup> perennius<sup>14</sup> sibi exegit, sed a Gregorio<sup>15</sup> VII. summo pontifice Romano<sup>16</sup> dignus iudicatus est, qui anno MLXXXIII. in numerum sanctorum confessorum<sup>17</sup> ascisceretur.<sup>18</sup> Hoc modo patronus iuventutis factus est, cuius nomen non solum apud nos, sed etiam in externis<sup>19</sup> regionibus<sup>19</sup> late celebratur. Exemplum enim aeternum statuit,<sup>20</sup> quo modo fides<sup>21</sup> intemerata<sup>21</sup> moresque integri<sup>22</sup> vitaque sceleris pura ab adolescentibus custodienda ac firmanda essent. Ergo eximium solamen est iuvenibus Hungaris praesertim hodiernis temporibus imaginem S. Emerici liliis ornatam intueri, quae ostendit iter, quod sequantur et imitentur, ut Hungaria integra restituatur.

Itaque salutemus grato animo dies festos memoriae eius dedicatos rogantes atque orantes, ut iuventuti nostrae nationique Hungariae apud Deum Omnipotentem semper fidus sit interpres.<sup>23</sup> *Aladarus Friml.*

<sup>18</sup> életelv    <sup>14</sup> ércnél maradandóbb    <sup>15</sup> Gergely  
<sup>16</sup> római pápa    <sup>17</sup> hitvalló    <sup>18</sup> fogad    <sup>19</sup> külföldön  
<sup>20</sup> példát állított    <sup>21</sup> törhetetlen hit    <sup>22</sup> fedhetetlen  
<sup>23</sup> közbenjáró.



### In periculo.

In ripa Danuvii, imbris inundati navicula vetus atque obsoleta stat. Iuxta eam portitor senex viatores flumen transvecturos expectat.

Sex viri veniunt, omnes sapientes doctissimique, quorum nomina ubique sunt nota.

— Heus, portitor, transportabis nos in ripam ulteriorem? — interrogat unus ex iis senem.

— Conscendite lintrem, domini — respondet ille.

Navicula movetur et lente, vacillans<sup>1</sup> ripam relinquit. Viri doctissimi hilares magna voce inter se colloquuntur et portitorem spectant, qui omni ope remis incumbit. Sic veniunt in medium flumen, ubi profundi rapidissimi-

### Sanctus Emericus.

*Sancte iuventutis fautor,<sup>1</sup> quem tota per orbem  
Hungaricum proles semper amore colit:  
Adde mihi vires, ut quas tellure parasti,  
Condigno laudes fervidus<sup>2</sup> ore canam.  
Priscorum regum generoso sanguine cretus<sup>3</sup>  
Iam puer ingenii splendida signa dedit.  
Mendicos,<sup>4</sup> inopes miserans Emericus amabat,  
Nocte dieque piis patre docente preces.  
Saepe pater vidit per rimas<sup>5</sup> nocte<sup>7</sup> pusillum<sup>6</sup>  
Verbere concubia<sup>7</sup> caedere membra gravi.  
Posthac Gerhardus<sup>8</sup> puerum praecepta docebat  
Quaque petat<sup>9</sup> caelos, erudit arte bona.  
Verba patris promptus retinet doctique magistri,  
Inque dies sanctus pectore gliscit<sup>10</sup> amor.  
Hic amor infanda stabilique cupidine caeli  
Exercens animum membra levare<sup>11</sup> vetat.  
Cogitur interea foedus<sup>12</sup> sociale<sup>12</sup> ferire,  
Sed placet intactum semper habere iugum.<sup>13</sup>  
Haec pater interea laetus tacitusque videbat  
Spemque animo coepit certus habere bonam.  
Fata sed obsistunt: caeli<sup>14</sup> matura<sup>14</sup> solulo  
Corpore progenies mox super astra volat.*

*Valentinus Fehér.*

<sup>1</sup> pártfogó    <sup>2</sup> tüzes, lelkes    <sup>3</sup> származó    <sup>4</sup> koldus  
<sup>5</sup> rés    <sup>6</sup> kis gyerek    <sup>7</sup> késő éjjel    <sup>8</sup> Gellért    <sup>9</sup> törekszik  
<sup>10</sup> gyarapszik    <sup>11</sup> felüdít, megkönnyít    <sup>12</sup> házasság  
<sup>13</sup> házassági kötelék    <sup>14</sup> az égre megérett.

Grande solatium cum universo rapi.

mique gurgites fortissimum quoque virum tentarent.<sup>2</sup> Portitor sudore<sup>3</sup> plenus<sup>3</sup> fluctibus verticosis<sup>4</sup> repugnat mox subito exclamat:

— O, mi Deus, adiuva me!

Viri sapientes rident et cavillantes<sup>5</sup> portitorem interrogant:

— Cur Deum commemoras, pater? Nusquam est Deus, a quo auxilium petas. Rudes tantum atque indocti homines, ut tu quoque es, credunt in eum!

Senex portitor nihil respondet. Obscurato et perturbato vultu spectat flumen et omnibus viribus lintrem ex gurgitibus expellere conatur. Sed linter repente vacillat, costae<sup>6</sup> crepant, mox in alteram partem vertitur undisque obruitur.<sup>7</sup> Portitor clamorem tollit:

— Natate domini, si vitam servare vultis!

Viri doctissimi pavore consternati exclamant:

— Tu, qui es in caelis, adiuva nos Domine!

*Helena Bánhegyi*

discipula VII-ae classis thygatrogymnasii Scarabantiensis.

<sup>1</sup> himbálódzva    <sup>2</sup> próbára tesz    <sup>3</sup> izzadtan    <sup>4</sup> örvénylő  
<sup>5</sup> ingerkedve    <sup>6</sup> bordái    <sup>7</sup> elöntik a hullámok.

## Vita Sancti Emerici.

Sanctus Stephanus, rex noster primus maestus vidit liberos suos alium post alium ad-



huc parvulos morte absumi. Maerore affectus saepe preces<sup>1</sup> Deo adhibebat,<sup>1</sup> ut heredem sibi filium donaret, cui regnum traderet. Preces haud incassum<sup>2</sup> erant missae, nam anno millesimo septimo Strigonii<sup>3</sup> natus est

ei filius: Emericus, qui postea lumen patriae dilucidum<sup>4</sup> evasit.

Dux parvulus iam tenellus<sup>5</sup> exemplo patris sancti utebatur: animus adolescentis mollis erat ad accipiendas virtutes. Educationi filii ipse pater praefuit, cum autem propter negotia in gubernando regno prohibitus esset, quominus hoc officium ipse praestaret,<sup>6</sup> anxia cum cura elegit virum, cui educationem filii mandaret.



Hoc tempore (anno 1015.) vir doctissimus Venetus: Gerhardus,<sup>7</sup> qui postea episcopus Csanádiensis factus est, in Hungariam venit, ut inde Hierosolyma proficisceretur. Divino quodam instinctu<sup>8</sup> huic sanctissimo viro tradidit pater filium erudiendum, quo duce

Emericus brevi omnium artium scientiarumque peritissimus exstitit.

Rex sanctus magno gaudio affectus vidit filii progressum in studiis virtutibusque. Quanta autem cura pater omnes motus filii unici et dilectissimi observaverit, inde videri potest, ut etiam noctu cubile reliquerit vigilaveritque pro filio usque ad lucem.

Virtutum cupidissimus adolescens divitias opesque terrestres contemnebat. Aliis dormientibus noctes in adorando Deo pervigilabat psalmos Davidicos lectitans et post noctes pervigilatas fatigatum corpus scamno<sup>9</sup> aspero ex tabulis ligneis constructo<sup>9</sup> torquebat.<sup>9</sup>

Quadam nocte Emericus ecclesiam Sancti Georgii adiit, ubi ex intimo corde precabatur Deum, quid potissimum offerret, quod Deus

clementissime acciperet. Dum orat rogitat que Altissimum, ecce candidissima luce opletur<sup>10</sup> templum et auditur vox caelestis: «Praeclara res est virginitas. Esto castus et corpore et animo tuo! Hanc mihi devove castitatem et conserva eam usque ad mortem!» —

Emericus solvit<sup>11</sup> votum:<sup>11</sup> castitatem non solum adulescens, sed postea etiam maritus conservabat.

Venit autem tempus, quo rex Stephanus curanda salute regni fessus coronam sanctam filio tradere constituit. Principes regni consilium voluntatemque regis comprobantes etiam diem dixerunt, quo diadema<sup>12</sup> capiti Emerici imponeretur.<sup>12</sup>



Omnia iam praeparata erant, ut sollemnia splendidissima fierent et dies quoque mensis Septembris anni 1031. appropinquabat, quo rex novus salutandus fuit. Nemo praesentiebat animo, quantum maeroris luctusque esset is dies habiturus! Nam aliquot diebus ante diem sollemnibus dictum<sup>13</sup> dux Emericus inter venandum gravi vulnere laesus postridie Cal. Sept. 1031. candidam animam Creatori cum ingenti luctu patris totiusque regni reddidit.



<sup>1</sup> kérte Istent <sup>2</sup> hiába <sup>3</sup> Esztergom <sup>4</sup> világító  
<sup>5</sup> zsenge <sup>6</sup> kötelességét teljesíti <sup>7</sup> Gellért <sup>8</sup> sugallat  
<sup>9</sup> deszkapadon fonnyasztotta <sup>10</sup> betölt <sup>11</sup> teljesítette fogadalmát <sup>12</sup> megkoronáz <sup>13</sup> kitűzött.

### Hymnus de S. Emerico.

*Candide fulgens Emericus ecce  
Iam novem saeculis decus Hungarorum,  
Principum splendor<sup>1</sup> iuvenumque, toto  
Notus in orbe.*

*Mente vivaci<sup>2</sup> teneris ab annis  
Inclyti<sup>3</sup> patris capit aut magistri  
Verba doctrinae, sequiturque gressu  
Principe digno.*

<sup>1</sup> ékessége, dísz <sup>2</sup> élénk <sup>3</sup> dicsőséges.

*Patris exemplis monitisque doctus  
Arte felici populos regendi;  
Quanta spes regni modo germantis<sup>4</sup>  
Atque parentum!*

*Semper et castus, pius et serenus,<sup>5</sup>  
Pauperum fautor,<sup>6</sup> refugitque nugas;<sup>7</sup>  
Sed dies claros tribuit labori  
Irrequietus.*

*Nocte se<sup>8</sup> solum reputans<sup>8</sup> precatur  
Pro suis caris pariterque gente  
Corde ferventi, genibusque flexis  
Tempore longo.*

*At repentino, velut atra nubes,  
Obruit<sup>9</sup> strages<sup>10</sup> lacrimosa<sup>10</sup> totam  
Regiam: abreptus super astra carus  
Angelus eius.*

*Sumptus in coelum, Domino volente,  
Ut novi regni vigilans precator,  
Atque sit vitae iuvenum per orbem  
Splendida stella.*

*Fac tua grata prece, sit saluti  
Patriae carae simul atque nobis  
Omne conamen<sup>11</sup> studiis dicatum<sup>12</sup>  
Et probitati.<sup>13</sup>*

Michael Tóth S. I.

<sup>4</sup> sarjadzó <sup>5</sup> vidám <sup>6</sup> pártfogó <sup>7</sup> léhaság <sup>8</sup> magába  
mélyed <sup>9</sup> megsemmisít, lesujt <sup>10</sup> siralmas, gyászos  
csapás <sup>11</sup> törekvés <sup>12</sup> ajánl, szentel <sup>13</sup> derékség, jóra-  
valóság.

### Epigrammata de Sancto Emerico.

Lilium Hungariae fueras, dum vita<sup>1</sup> superstes:<sup>1</sup>  
Nunc caelum redolet<sup>2</sup> dulci odore tuo.

\*

Vivus eras stella Hungariae tremulo<sup>3</sup> igne<sup>3</sup>  
coruscans.<sup>3</sup>

Stella micans<sup>4</sup> radias<sup>5</sup> nunc et ad ora Dei.

\*

Egregius iuvenis animoque et corpore castus:<sup>6</sup>  
Exemplum verum est Hungariae iuvenum.

\*

Virginitatis<sup>7</sup> honos, pietas gratissima caelo  
Effecit iuvenem tangere regna Dei.

Eugenius Márkus.

<sup>1</sup> életben voltál <sup>2</sup> illatozik <sup>3</sup> reszkető fényvel csil-  
logó <sup>4</sup> ragyogó <sup>5</sup> fénylik, sugárzik <sup>6</sup> tiszta <sup>7</sup> szü-  
ziesség.

### Legenda de S. Emerico.

Vixit quondam homo, cui nomen Conrado erat. Vir erat impius atque improbus et pravis cupiditatibus deditus. Hic aliquando animi conscientia<sup>1</sup> excruciatu peccata sua confessurus<sup>2</sup> veniae impetrandae<sup>3</sup> causa summum pontificem Gregorium VII. adiit. Qui cum peccata viri immania<sup>4</sup> audisset, poenitentiae veniam ei non dedit,<sup>5</sup> sed eum lorica<sup>6</sup> et vinculis ferreis indutum loca sacra tumulosque Sanctorum adire<sup>7</sup> iussit. Simulque confitentis<sup>8</sup> litteras obsignatas,<sup>9</sup> in quibus peccata eius inscripta erant, commisit<sup>10</sup> et dixit:

«Signum gratiae Dei omnipotentis erit, si vincula ferrea corpore tuo sua sponte deciderint et scripta ex litteris evanuerint».<sup>11</sup>

Conradus proficiscitur et diu peregrinatur. Aliquando fama S. Stephani, ad cuius sepulcrum paene cotidie miracula fierent, ad aures eius pervenit. Vir poenitens statim ad S. Stephani tumulum properat, ubi aliquamdiu supplici voce preces fundit,<sup>12</sup> mox corpus multo labore fessum in terram demittit et somno succumbit.<sup>13</sup> Et ecce in somnis rex sanctus apparere et haec dicere ei visus est:

«Exsurge! Propera ad sepulcrum filii mei S. Emerici et ora, ut pro te apud Deum intercedat!»

Conradus somno excutitur,<sup>14</sup> adit tumulum S. Emerici, qui in eodem templo erat ibique genibus nixus<sup>15</sup> S. Emericum pro intercessione humillime rogat. Repente vincula franguntur et decidunt, sigilla<sup>16</sup> rumpuntur<sup>17</sup> et scripta, litteris mandata evanescunt.

Qui in templo aderant, sonitum audientes, postquam rei causam intellexerunt, grato animo laudes S. Emerici cantu celebraverunt.

(Em.)

<sup>1</sup> lelkiismeretfurdalás <sup>2</sup> gyónni <sup>3</sup> feloldozás végett  
<sup>4</sup> szörnyű <sup>5</sup> nem oldozta fel bűneitől <sup>6</sup> páncél <sup>7</sup> za-  
rándokol <sup>8</sup> bűnbánó <sup>9</sup> lepecsételt <sup>10</sup> rábíz <sup>11</sup> eltűnik  
<sup>12</sup> alázatosan könyörög <sup>13</sup> az álom elnyomja <sup>14</sup> fel-  
serken <sup>15</sup> térdre borulva <sup>16</sup> pecsét <sup>17</sup> felpattan.

Calamitas virtutis occasio est.

\*

Marcet sine adversario virtus.

## Hymnus.\*

*Hic salutis semita      Dum de carne perficit  
Vitae iuniorum        Emricus tropaeum.<sup>1</sup>  
Via tuorum inclita     Res est mira penitus,<sup>2</sup>  
Turbae seniorum:     Quod per vim virtutis  
Quasi David deiicit    Superatur funditus  
Funda Philisteum,     Ardor iuventutis.*



\* Vitae sanctitas Emerici Sancti merito animos poetarum, pictorum artificumque clarissimorum inflammavit, ut imaginem eius carissimam ante oculos omnium proponerent. — Hymnus excerptus est ex opere Dankó, cui inscriptum est: *Vetus Hymnarium ecclesiasticum Hungariae.* — <sup>1</sup> teste fölött diadalt arat <sup>2</sup> valóban.

## EXEMPLA CLARORUM VIRORUM

Aliquando leo virginem a patre sibi in matrimonium petivit. Tum pater: «Equidem — inquit — paratus sum eam tibi concedere, sed metuo tuos ungues et dentes, ne quando post nuptias propter aliquam causam iratus ferarum modo virginem tractes». Leo ungues et dentes abiecit. Quod ubi pater vidit, eum baculo feriens facile interfecit.

(Diodorus.)

## Claudii.

Ad fabulam *Ernesti Eckstein* latine scripsit  
*Valentinus Fehér.*

### Liber secundus.

#### I. Familia et res publica.

Die natali Domitiani imperatoris Quintus sero vespere ad Thracem Barbatum se contulit eique nuntiavit Eurymachum prospere evasisse. Senex multa magno fervore locutus est de filio fabri Nasareni, de eius in Palaestina itineribus, de doloribus in cruce toleratis, de redemptione generis humani. Quintus vehementer commotus obortis lacrimis exsiluit et senem amplexus est.

— Adoptate<sup>1</sup> me in locum<sup>1</sup> fratris;<sup>1</sup> et ego me vobis adiungere volo.

Tum placuit, ut Quintus postero die noctu in latomiis ad rivum Almonem baptizaretur.<sup>2</sup>

Cum Quintus limen domus patriae transcenderet, familia prandium sumebat.

— Nonne, pater — inquit — hodie senatus decernet?<sup>3</sup>

— Id aiunt — respondet pontifex maximus.

— Lex a te conscripta nimium severa esse dicitur.

— Competit<sup>4</sup> fini<sup>5</sup> suo. Omnibus utar legis terroribus.<sup>6</sup> Iam finis est patientiae. Nasareni capitali supplicio afficientur... inter ungues ferarum.

— Acta<sup>7</sup> vestra sunt admodum immania. Mi pater, hoc fieri non potest.

— Necessarium — respondet pontifex.

— Vultisne revocare<sup>8</sup> tempora Neronis?

— Revocabimus, mi fili.

— Tunc igitur perseveras<sup>9</sup> necesse esse mori Nasareniis?

— Sine missione,<sup>10</sup> sive servus, sive senator.

Labra<sup>11</sup> Quinti iam tremere incipiebant, iam e pectore clamor desperantis erumpebat: pater, tuum occidis filium! sed tacuit et patrem valere<sup>12</sup> iubens<sup>12</sup> discessit.

— Iam tempus est — ait pontifex, — ut

<sup>1</sup> testvérévé fogad <sup>2</sup> megkeresztel <sup>3</sup> dönt <sup>4</sup> megfelel <sup>5</sup> cél <sup>6</sup> megfélemlítő eszközök <sup>7</sup> intézkedések <sup>8</sup> felidéz <sup>9</sup> megmarad amellett <sup>10</sup> irgalmatlanul <sup>11</sup> ajak <sup>12</sup> búcsút vesz.

in senatum me conferam. Sextus Furius ad convivium a me vocatus est.

Cum discederet, Claudia eum secuta in tablinum<sup>13</sup> intravit.

— Quid vis? — interrogat pontifex.

— Mi pater — inquit Claudia — ego Sexto Furio nubere non possum.

— Hariolaris.<sup>14</sup>

— Ego sane verum dico.

— Itane? et cur recusas?

— Quia, ut sincere loquar, C. Aurelium Menapium amo.

— Quid? — clamat pontifex iratus — Equitem oppidanum, maioribus carentem?

— Si tu, mi pater, me ab Aurelio revelleris,<sup>15</sup> nullam in vita habebo horam beatam. Fidem<sup>16</sup> ei meam obligavi.<sup>17</sup>

Claudia tremere et flere coepit.

— Noli flere, mea filia carissima — inquit Claudius. — Redi ad te. Hodie vesperi omnia inter nos constituemus.<sup>18</sup> Nunc me vocat res publica, nunc patria me indiget. Tantisper<sup>19</sup> id te rogo, ne sis in Furium nimis frigida. Promitte mihi, carissima Claudia.

— Promitto.

Mox T. Claudius in Iovis aedem ivit, quae erat in Capitolio. Senatus illic convenerat. Pro T. Flavio Clemente consule, quippe qui suspicionem haberet se foedere cum Nasarenis esse coniunctum, praetor senatui praesidens,<sup>20</sup> postquam legem de persequendis Christianis a T. Claudio compositam legit, more maiorum senatores interrogavit, quid censerent.

Maxima pars senatorum summo studio ac servili fere humilitate<sup>21</sup> suam sententiam aperire maturaverunt;<sup>22</sup> itaque celeriter ordo venit ad Cornelium Cinnam, qui acuta ferreaque<sup>23</sup> voce impugnavit legem, quae indigna populo Romano esset.

(Ad numerum proximum.)

<sup>13</sup> dolgozószoba <sup>14</sup> ostobán beszél <sup>15</sup> elszakít  
<sup>16</sup> adott szó <sup>17</sup> leköt <sup>18</sup> megbeszél <sup>19</sup> addig is <sup>20</sup> elnököl  
<sup>21</sup> meghunyászkodás <sup>22</sup> siet <sup>23</sup> erős.

Mens agitat molem.

\*

Imprimis venerare Deos!



## De sollemnibus Sancto Emerico sacris.

Catholici Hungari hoc anno nongentesimum anniversarium exaltationis<sup>1</sup> S. Emerici celebraturi sunt, Res sollemnium commissio<sup>2</sup> extraordinaria maxima cum cura praeparat. Hic ex libello<sup>3</sup> res, quas praesertim ad<sup>4</sup> iuvenes<sup>4</sup> pertinere<sup>4</sup> putamus, communicabimus.

Sollemnia hoc mense incipiunt, cum ubique in scholis Hungariae celebrationes in honorem S. Emerici habentur.

Die 21. Maii concentus<sup>5</sup> iuvenum festivus erit in aedificio<sup>6</sup> rebus<sup>6</sup> musicis<sup>6</sup> sacro.<sup>6</sup>

Die 25. Maii aedificia<sup>7</sup> aestiva,<sup>7</sup> de S. Emerico nominata, ad quietem refectionemque animi et corporis iuventutis destinata in oppidulo Balaton-Ábrahámhegy dedicabuntur.

A Calendis Augustis opera artium<sup>8</sup> effectivarum<sup>9</sup> propalam collocabuntur. Eodem tempore monumenta<sup>9</sup> domus Árpádi regnatricis in museo nationali spectanda dabuntur, simili modo etiam opera artis<sup>10</sup> Christianae<sup>10</sup> in museo<sup>11</sup> artium<sup>11</sup> quaestuariarum<sup>11</sup> conspici poterunt.

Die 4. Augusti certamen gymnicum inter Hungaricos et Italicos athletas electos.

Die 14. Augusti conventus iuventutis catholicae universalis.

Die 17. Augusti statua S. Emerici detegitur.<sup>12</sup>


Die 19. Augusti sub vesperum processio<sup>13</sup> eucharistica.<sup>13</sup> Qua occasione lumina<sup>14</sup> festa<sup>14</sup> innumerabilia<sup>14</sup> in flumine Danuvio, tota urbe et in omnibus, qui circa sunt collibus accendentur.<sup>14</sup>

Die 20. Augusti pompa sollemnis cum dextera S. Stephani. Tum corona sancta regni Hungarici, quae solummodo, cum insigne<sup>15</sup> regium<sup>15</sup> capiti regis imponitur, videri potest, per biduum ad visendum sollemniter proponetur.

Praeterea multa alia: ludi theatrales, pompae festivae in habitu<sup>16</sup> gentis<sup>16</sup> proprio<sup>16</sup> etc. instituantur.

(E. M.)

<sup>1</sup> megdicsőülés <sup>2</sup> bizottság <sup>3</sup> programm <sup>4</sup> ifjakat érdeklő <sup>5</sup> hangverseny <sup>6</sup> zeneakadémia <sup>7</sup> üdülőtelep <sup>8</sup> képzőművészeti <sup>9</sup> műemlékek <sup>10</sup> egyházművészeti kiállítás <sup>11</sup> iparművészeti múzeum <sup>12</sup> leleplez <sup>13</sup> eucharisztikus körmenet <sup>14</sup> ünnepi kivilágítás <sup>15</sup> királyi jelvény <sup>16</sup> nemzeti viselet.



**VARIA**

**Franciscus I.**, rex Hungarorum magistro usus erat quodam canonico<sup>1</sup> nomine Hohenwart, qui post episcopus<sup>2</sup> Fani<sup>3</sup> St. Hippolyti<sup>4</sup> factus est. Rex simulacrum<sup>4</sup> Hohenwartii in palatio Vindobonensi<sup>5</sup> in conclavi privato servabat, ut et hoc modo honorem magistro suo praestaret. Cum vero Cardinalis Christophorus<sup>6</sup> Migazzi archiepiscopus<sup>7</sup> Vindobonensis mortuus esset, etiam Hohenwart Vindobonam<sup>8</sup> adiit, ut exsequias funeris prosequeretur. Qua occasione et regem visitavit et gaudio incredibili elatus cum suam imaginem tam honoratam videret, rex digito exemplum<sup>9</sup> monstrans eum interrogavit:

Quis est hic vir, carissime Hohenwart? Nisi fallor, respondit Hohenwart, ille est episcopus Fani St. Hippolyti.

Sententia te fefellerit, respondit rex episcopo arridens, nam hic est archiepiscopus Vindobonensis!

*Aem. Láng.*

**Argentarius<sup>10</sup> magnanimus.**

400 annis ante Augustae<sup>11</sup> Vindelicorum<sup>11</sup> vixit Fugger, argentarius tunc temporis in orbe terrarum ditissimus, cui ipse imperator: Carolus V. 50 milibus thalerorum aureorum in mutuuum acceptis obligatus erat. — Imperator aliquando argentarium suum salutatum Augustam Vindelicorum profectus est. Fugger, ut gaudium pro nimio honore, qui sibi ab imperatore obtigit, ostenderet, in crepidine<sup>12</sup> camini<sup>13</sup> atrii<sup>14</sup> magnam vim cinamoni<sup>15</sup> (tunc temporis sumptuosissimam<sup>16</sup> mercem<sup>17</sup> odoris<sup>17</sup> collocavit et syngropham<sup>18</sup> de aere alieno ab imperatore subscriptam combussit. — Magnanimitas argentarii imperatori (ut quisque conicere potest) valde placuit et Fuggerum statim titulo comitis exornavit.<sup>19</sup>

*F. Gondán.*

\*

Quis non sentiat imbecillitates suas?<sup>20</sup> Quis nesciat se permultum peccare?...

Atqui quoties in vita vehementer invehimur in eos, quorum imbecillitates parvae sunt, neque ignoscimus aliorum vitiis, quibus, — si nostra fuerint — indulgebimus.<sup>21</sup>

Num iure queremur, si opiniones atque rationes ea modo causa nos fefellerint,<sup>22</sup> quia totum mundum nobis puriorem atque firmiorem esse credidimus?<sup>23</sup>

*(E sententiis Iosephi Eötvös.)*

<sup>1</sup> kanonok <sup>2</sup> püspök <sup>3</sup> Sankt Pölten <sup>4</sup> arckép  
<sup>5</sup> bécsi <sup>6</sup> Kristóf <sup>7</sup> érsek <sup>8</sup> Bécs <sup>9</sup> arckép <sup>10</sup> pénzember, hitelező <sup>11</sup> Augsburg <sup>12</sup> párkány <sup>13</sup> kandalló  
<sup>14</sup> fogadóterem <sup>15</sup> fahéj (illatszer) <sup>16</sup> igen drága  
<sup>17</sup> illatszer <sup>18</sup> kötelezvény <sup>19</sup> kitüntet <sup>20</sup> gyengeségeit <sup>21</sup> elnézzük <sup>22</sup> számításainkban csalódnunk  
<sup>23</sup> tisztábbnak és szilárdábbnak hittük.

\*

Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitatur furorem.

**JOCOSA**

*Longaeva.* Illa matrona vixit vitam pulcherrimam, quae olim sic filiam allocuta est: «Filia mea, commonefacias quaeso filiam filiae filiae tuae, ut filium suum in cunis<sup>1</sup> vagientem placet!»<sup>2</sup>

*Cingarus* bracas<sup>3</sup> rubras novissime emptas ostentaturus<sup>4</sup> templum vici intrat. Populus forte ad Evangelium audiendum de sede sua surgit. «Sedeatis modo, — ait ille modeste — ego quoque fui ac vos — pauper!»


*Hieme gravi* cingarus subuculā<sup>5</sup> tantum indutus in platea vici ambulat. Quidam eum alloquitur: «Tute non alges?» «Non ego, amice, — respondet ille quiete — ceterum omnia mihi indui, quae habui domi vestimenta!»

*Herus quidam avarus* domi suae saltationem instituit, itaque cingaros conduit,<sup>6</sup> qui fidibus<sup>7</sup> canerent.<sup>7</sup> Qui cum nihil vini accipissent, e lagena, in qua aliquid liquoris videbant, alius post alium iucundos haustus ducebant, neque se picem<sup>8</sup> fluidam,<sup>8</sup> (qua asses<sup>9</sup> levigari<sup>10</sup> solent) devoravisse aperiebant. Senex tandem, qui sambucā<sup>11</sup> canebat,<sup>11</sup> subridens ad socios: «Non putatis — inquit — amici deesse nobis penicillum,<sup>12</sup> quem ad vinum devoremus?» *Felicianus Gondán dr.*

<sup>1</sup> böleső <sup>2</sup> csitíté <sup>3</sup> nadrág <sup>4</sup> fitogtat <sup>5</sup> ing <sup>6</sup> fel-fogad <sup>7</sup> hegedül <sup>8</sup> fénymáz <sup>9</sup> padló <sup>10</sup> simít <sup>11</sup> cimbalmos <sup>12</sup> kefe.




Solutiones aenigmatum Numeri VII:

I. *Pater noster.* — II. *mos, mus, mors, moror, morsus, murus, morus, -i, morus, -a, -um, murmur, murmuro, os, oro, ros, roro, rus, rursus, ruo, ruo, rumor, orsus, sus, sum, sumus, suus, suo, susurro, susurrus, sursum, sors, soror, summus, sumo, uro, urus, ursus, usus.* — III. *pronus, amat, redivus, emit, notus, timiditas, ebrius, scit, acutus, memor, ante.* — *Dictum Catonis: «Parentes ama!»*



Aenigmata Numeri VII. recte dissolverunt:

Camilla Takáts, Edit Lehmann, Ladislaus Kepes. (*Budapestinenses.*) — Iulius Vattamány, Ladislaus Pichler, Iohannes Horváth, Alexander Fövenyessy. (*Sopianenses.*) — Nicolaus Rosenberg. (*Keszthelyiensis.*) — Franciscus Csehi. (*Veszprémiensis.*) — Praemia Lad. Kepes et Nic. Rosenberg adiudicata sunt.



Epigrammata tristicha aenigmatica.

II.

Non sum cineta comis, et non sum compta capillis:  
Intus enim crines mihi sunt, quos non videt ullus:  
Meque manus mittunt, manibusque remittor in auras.

III.

Contero cuncta simul virtutis robore magno.  
Una mihi cervix, capitum sed forma duorum.  
Pro pedibus caput est: nam caetera corporis absunt.

IV.

3, 2, 1 = praepositio  
16, 1, 21, 19, 18, 8 = animal, cuius nomine homines quoque utuntur  
20, 13, 19, 18, 17 = datur et accipitur vicissim  
11, 6, 9, 6 = uxor Urani  
10, 15, 12, 15, 6 = arbor umbrosa  
4, 9, 5, 13 = conditor stenographiae Romanae  
8, 13, 7, 13, 14, 16 = talis est saepe classis discipulorum quoque  
1—21 = Dicitur, cum Christianae<sup>1</sup> republicae<sup>1</sup> moderator<sup>1</sup> coronatur.

<sup>1</sup> pápa.


V.

e = a




BVS

Paulus Farkas.



Lad. Zányi. Aenigmata tua prodibunt. — Em. Zaitschek. Fabellam tuam de Aesopo *Arenae Inventutis* inseram. Ut autem industriam tuam, omni laude dignam aliquo praemio afficiam, mitto tibi carmina Alexandri Sajó, quae nuperime sub titulo: «Gyertyaláng» prodierunt. — Alexander Baruch. Fabula tua prodibit, fortasse carmen quoque, quod in Latinum vertisti, sed utrumque prius corrigendum est.



Moderator ephemeridis: EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,

ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiszkolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)